



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Mysticvm Heliotropivm Hoc Est Selectæ Indvstriæ Ad Unionem Cum Deo consequendam**

**Gianotti, Alfonso**

**Ingolstadii, 1658**

Industria I. Ostendit Obligatione[m] & Modum practicum Deo se pro  
acceptis Beneficijs gratum exhibendi

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51801](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51801)

## MODVS SEQVENTI- BUS INDUSTRIIS VTENDI.

Primò præstabit unam seligere, quæ tibi videbitur utilissima, neque contentus sis eam attentè, devotè & cum fructu per modū piæ orationis recitasse, sed distribue in plura puncta, quæ pluribus successivè diebus meditando discuties; stude positas ibi veritates intelligere ac penetrare, tibi que applicando fac proprias, easque cum affectuum fervore sæpiùs reiteratas anima (eo ferè modo, quem in Colloquijs infra ponendis observari videbis) desumendo inde vel maximè seria & practica proposita interdum executioni mandanda. Unâ aliquâ Industriâ dicto modo absolutâ ad aliam atque aliam progredere.

Secundò. Interdum magnam dili-

A 7

gentiam

14. *Modus sequentibus*

gentiam adhibe in frequentandis, serio tamen ac tranquillo cum animi affectu, precibus jaculatorijs, in quibus illa cum DEO Patre tuo præsente transiges, quæ Industriæ, quam matutina meditatione expendat, & directioni ex paulò post assignandis praxibus percipiendæ, conformis judicabis. Proponis Expl. Gr. matutino tempore primæ diei quinq; piæ aspirationes in honorem quinq; Venerum Christi persolvere, totidemque à prandio, propone altero manè sex, septem tertio, & ita deinceps semper augendo numerum. Vespere studiose examina, an & quomodo proposito tuo satisfeceris: si satisfecisti, DEVM lauda; sin, illicò defectum supple ad maiorem DEI tui præsentis gloriam, demonis verò, qui memoriam servandi propositi impedire conatus est, confusionem. Præ omnibus autem DEO, Deiparæ ac Sanctis te frequen-

ter

*Industrijs utendi.*

15

per commendam, quò certius ingentem  
(quem animum tibi exopto) fru-  
ctum ope ac patrocinio ipsorum ex  
illis Industrijs referas; in quem finem  
imprimis proderit 3. Communiones,  
inornificationes & preces fre-  
quenter offerre.

\* \*  
\*



PRIMA

## PRIMA INDVSTRIA

## Gratiarum actionis.

**S**olent Dialectica Magistri  
 varios communes ( ut ve-  
 sant ) locos praescribere, ex  
 quibus veluti quibusdam fontibus  
 ac seminaris argumenta desu-  
 munt ad id, quod intenditur pro-  
 bandum & persuadendum. Et  
 ego Industrias quasdam tibi offe-  
 ro, ex quibus varios, eosque fre-  
 quentes, pios animae affectus de-  
 promere poteris, quibus non sine  
 notabili animae tuae commodo cum  
 DEO tuo omni loco praesenti con-  
 versari, & actualem ipsius amo-  
 rem jugiter in te fovere poteris.  
 Prima itaque sit, ut tibi persuadem,  
 quid-

Prima Industria. 17

quidquid pulchritudinis, bonita-  
tis ac amabilitatis in rebus creatis  
invenitur, tuisque sensibus, ima-  
ginationi aut intellectui obijcitur,  
& ut verbo dicam, omnes crea-  
turas, beneficia esse, unam quidem  
ad alterius commodum, omnes ve-  
ro ac singulas ad corpori animæq;  
tuae serviendū conditas esse, qua-  
rum actualem usum tibi concedit  
Deus tuus, intimè illis presens,  
manu quidem invisibili, affectu  
tamen tenerrimo & propensione  
insuitā, apertos tenens, ad tuam  
utilitatem ad tuos usus ac com-  
moda, thesauros bonorum non so-  
lum Naturæ, sed & Gratiæ & Glo-  
riæ, quos si vel obiter & per tran-  
sennam inspexeris, si in ijs confi-  
deraveris

deraveris beneficiorum multitudine ac perfectionem, si exproderis amorem infinitum, et eternum proprii commodi nescium, tenentem constantem, & efficacem, quod beneficia illa in te collata continere pergat ac conservare, nullam ingratitude absterritus, sed gratias potius ob haecenus concessas & deinceps etiam quasi ex quodam servitutis debito praestanda beneficia, reddens te participem non solum eorum, quae alijs communi sunt, beneficiorum, sed insuper multis specialibus & singularibus amoris favore in te congestis gratiis beneficis, sive bona spectantia animi & corporis, sive mala a quibus benignissime te liberavit aut

pra.

*Prima Industria.*

19

preservavit, hæc inquam omnia  
postquam vel obiter animo perpen-  
deris, impossibile erit, quin (si vel  
umbra hominis, & rationis scin-  
tillam retines) totus in affectus  
Gratitudinis, Amoris, Oblationis,  
& plenissimæ in Deum tuum, tan-  
tam ac amore plenissimum Bene-  
factorem, Fiducie erampas. Ad  
te verò si oculos reflexeris, quomo-  
do fieri poterit, quin profunda Hu-  
militatis, Confusionis, Contritio-  
nis, Timoris ac Reverentiæ actus  
depromas, cum videris te in extre-  
ma indigentia & necessaria à be-  
nefica Dei manu dependentia ne-  
cessitate constitutum, ut qui, vnà  
cum alijs res ac tantà diversitate  
multiplicibus creaturis tui com-  
modi



*modi causâ conditis, singulis  
mentis conservari necesse habet  
aliâs illicò in nihilum tuum red-  
turus?*

## COLLOQVIVM I.

**O** Amantissime mi, summe  
& assidue Benefactor, mi  
DEVS, ecce me positum à tua  
benignissima manu in Mundo,  
vel, ut melius dicam, in the-  
sauro gratiarum & in pelago  
beneficiorum tuorum. Frue-  
bar quondam, sed sensu ac opi-  
nionem minus rationabili, pul-  
chritudine florum, dulcedine  
fructuum tanquã donis à terra  
datis; piscibus & volueribus,  
tanquam elementorum partu-  
bus;

*Prima Industria.*

21

bus; Solis lumine & stellarum  
influxibus, quasi Cæli munere;  
est ubi sereno lucis tuæ radio  
oculos animæ meæ illustrâsti,  
agnosco mi DEVS & confiteor  
te verè ac reipsâ in omnibus  
creaturis præsentem, ipsis, ut  
benefacias, largiri ut sint, pro-  
pter meam verò utilitatem in  
illis & cum illis operari tot ac  
tantos favores Naturæ & Gra-  
tiæ. Tu per Solem & cum So-  
le me illuminas, cum Terra su-  
stentas, cum Anima me vivifi-  
cas, & ut omnia paucis dicam,  
tu omni momento omnia  
Creatâ, Elementa, Mixta, Ho-  
mines, Angelos, & quod plus  
est omnes cælestis Paradisi de-  
licias

licias conservas propter me  
 mihi destinatas, & destinatas in  
 pendis; imò tu ipse, qui horum  
 omnium & Paradisi Domini  
 es, cum tuis & in tuis Natura  
 Gratia & Gloria donis Bonum  
 nostrum & Beneficium factum  
 es. Noster es in creaturis tuis  
 dum eas condis, dum in ijs per  
 sistis operans, easque nobis in  
 visibili quidem, sed presentia  
 simâ manu communicas.

Fuiſti noſter in Incarnatio-  
 ne, Doctrinâ, Vitâ, & Morte.  
 Noſter es Incarnatus, & ſub  
 Auguſtiſſimo Eucharistiæ Sa-  
 cramento reconditus. Noſtra  
 eris ſumma Beatitudo in coelis,  
 ſi tamen portam illorum pec-  
 catis

...catis nostris, nobis ipsis non.  
...occluserimus. Illud autē, quod  
...animat quasi & præstantiam,  
...tantorum beneficiorum gemi-  
...nat, est dulcissima Charitas &  
...Amortuus infinitus, quo amā-  
...stinos ab æterno, antequam  
...mundum conderes, jam tunc  
...liberè ac gratuito determinans  
...tribuenda nobis in secuturâ  
...vitâ nostrâ tanta beneficia,  
...Generalia, Specialia, Corpo-  
...ralia, Spiritualia; ad quæ om-  
...nia & singula nunc & deinceps  
...complenda ab ipso mundi ex-  
...ordio creaturas ordinare cœ-  
...pisti, actu cognoscens & vo-  
...lens, ut per tot sæculorum spa-  
...tia mirandâ successione perse-  
...verarent,

verarent, seque impenderent ad id usque temporis, quo ille creaturas produceres & productas conservares, quæ immediate nobis servierunt & adhuc serviunt.

Neq; bona solùm sed & mala corporis & animæ, ô magnè DEVS! gratiæ & beneficia tua sunt; mala illa scilicet, quæ alios affligerunt aut etiamnum affligunt, & nos quoque premere possunt, quæ tamen, quia misericordissimè ab ijs nos preterfervas, modò non affligunt, & quia mala eiusmodi innumera sunt, infinitis modis nos obligant ad condignas tibi referendas gratias. Sed quo modo,

do, mi DEVS, tibi gratierimus,  
si ipsa gratiarum actio novum  
tuum est beneficium? Si quan-  
tò magis Maiestatis tuæ debita  
exolvere conamur, tantò mai-  
ores Liberalitati tuæ mori co-  
gimur debitores?

Statuo igitur & fixum habeo,  
O Summum Bonum meum &  
Benefactor liberalissime, cum  
Sancto Rege tuo David pro  
tuo in me amore, omnibús-  
que bonis à te mihi concessis,  
duo rependere, hostiam sci-  
licet Laudis & Oblationis sa-  
crificium.

Laudo te, benedico te, amo  
te, tibi que gratias ago & opto,  
ut mecū & loco mei omnium-

B que

que Creaturarum præteritæ  
præsentium & futurarum per  
omnem æternitatem gratiam  
referant actiones omnes An-  
gelorum Chori, omnes Bea-  
torum Coelorum mentes cum  
IESU & MARIA illorum Duci-  
bus, ob ingentia quæ recep-  
imus & deinceps recepturi fu-  
mus bona, ob innumera quæ  
evasimus & evademus malorum  
pericula cooperante & suavis-  
simè disponente amantissimæ  
tuâ in nos omnes immerito  
Charitate. O mi DEVS, si pos-  
sem, spiritu Seraphico anima-  
rem omnes etiam sensus ex-  
pertes creaturas, ut per me  
mecum te amarent, perpetuum  
que

quo laudis ac gratitudinis re-  
sonarent canticum illi, qui dat  
quantum habet & est, vilissi-  
mis & ingraticissimis creaturis.

Et quia Gratitude non tam  
in verbis quàm factis, non tam  
in promittendo quàm dando  
consistit, ecce me ad pedes tuas  
Maiestatis abiectum, ut totum,  
quidquid sum, possum & ha-  
beo, non tantùm in oblatio-  
nem, sed & holocaustum tibi  
cedat. Nec id ago quasi offe-  
rens aliquid meum, sed red-  
dens mille titulis jam antequàm;  
non enim subiectione & Do-  
minio in me tuo me exemisti,  
cùm me mihi per creationem  
dedisti, Tuus sum igitur, tuum

B 2 est



est hoc meum corpus, tua  
hæc anima mea cum omnibus  
potentijs suis, & licet tuus me  
essem necessitatis lege, vellem  
tamen tuus esse liberæ volun-  
tatis electione, sicut jam nunc  
ex hoc momento totum me  
tibi offero & consecro: atque  
utinam simul possem omnium  
Creaturarum tuarum obsequium  
efficaciter & reipsa tibi offerre  
& præstare, vnaque cum illis  
me in tui amorem & servitium  
jugiter impendere, sicut tu ab  
amando nos, nobisque bene-  
faciendo nunquam desistis.

Ah mi chare Pater, quare  
nunquam beneficijs tuis ad tui  
offensionem & injuriam abu-  
sus

sus fui? quomodo potui ingratu-  
tus & stultus donis tui contra-  
te DEVM meum presentem,  
pugnare, eum qui me ama-  
bat, odio prosequens, qui me  
insequendo quærebat, fugi-  
ens, offendendo illum, qui  
me sinu suo fovere ac comple-  
cti gestiebat, cornu, O Bo-  
num meum! vulnerando, qui  
cordi tuo insculptum me ge-  
stabas?

Non ampliùs Domine, non  
ampliùs ita fiet. Detestor o-  
mne etiam levissimum pecca-  
tum, maximè NN. quo tanto  
Benefactori meo nimis ingra-  
tum me ostendi. Protestor  
deinceps me (quoad potero)

B 3                      crea-

creaturas & meipsum non aliter intuiturum aut agniturum quam ut meritissimum tuum Beneficium, gratum me exhibens frequenter non solum ore ac lingua, sed sapius corde, constanter verò vitæ & morum perfectione, ut, pro eo ac debeo, me gratum exhibeam amoris infinito, & innumerabilibus tuis beneficijs, meque aliquo saltem gratitudinis signo idoneum reddam ac disponam ad recipiendum summum beneficium, quod **Tu es DEVS MEVS**, summa Beatitudo mea; simulque alios laborem excitare alios, maxime **Domesticos**, ad recognoscendam

*Prima Industria.* 31

scendam, verbis & operibus  
perfectioribus, tuam Charita-  
tem, continuâque beneficia  
tua, & sic unâ te laudemus in  
omnem æternitatem. Amen.

## PRAXIS INTERDII USURPANDA.

**D**um te manè vestibus induis,  
dic corde & ore: DEVS  
meus benedicta sit charitas  
tua in prolongandâ mihi alijs-  
que vitâ, in concedendâ re-  
quie, in præservando me à tan-  
tis animæ corporisq; malis to-  
tâ hâc nocte. Tibi gratias ago,  
& pannos istos ex oculor qua-  
si liberalem Eleemosynam &  
beneficium à te concessum.

B 4      Lau-

Laudet te mecum & loco meo  
tota cælestis Paradisi aula  
Amen.

*Comedens aut videns cibos  
preparatos dic: Gratias tibi ago  
ô immense & præsentissime  
DEVS, qui hos cibos creasti  
qui creatos conservas, & tu  
merissimâ bonitate tua nobis  
donas, utinam benedicant  
loco mei omnes sancti tui.*

*Accipiens ab alio rem quam  
piam, dic: Tu es, ô mi DEVS,  
rei istius primarius ac Princi-  
palis Largitor, tibi ergo præ  
omnibus sit gratiarum actio &  
gloria. Amen.*

*Negotio aliquo à te vel alio fe-  
liciter ac bene gesto, dic: Tibi  
laus*

laus, o mi DEVS, ob tantam  
mihi (vel isti) factam gratiam.

Denique quaecumq; aliquid  
boni, pulchri ac laude dignum in  
te vel alijs deprehendes, imò etiã  
si quod malum alijs, non item tibi,  
evenisse videbis, assuesce cordis  
saltem affectu Deum Benefacto-  
rem tuum presentem alloqui, &  
dic. DEO Gratias cum intentio-  
ne ac animo gratum te ostenden-  
di DEO tuo, exemplum magnæ  
cujusdam DEI SERVÆ imitatus,  
ob tria magna beneficia in quo-  
vis, etiam in speciem minimo be-  
neficio contenta; &

Primò quidem ob æternum il-  
lum amorem, quo antequam  
Mundus esset jam decreverat hoc  
tibi beneficium prestare. II.

II. Quia ab ipso Mundi exordio ad hoc usque tempus ita providè creaturas suas ordinavit et disposuit, ut res hac, quam modo tibi donat, et produceretur, et producta hucusque conservaretur.

III. Quia actus hic et nunc ipse immediate tibi largitur hanc minimam creaturam, hoc frustum panis, hunc haustum vini, hunc vel illum fructum, cum tanta amoris teneritudine et animi applicatione, quasi aliud, quod in Cœlis aut terra ageret, non haberet.

Quodsi verò perfectiori quodam modo DEO tuo gratus esse desideras, expediet sæpè partem tibi liberaliter concessorum donorum illi conse-

*Prima Industria.* 35

consecrare, quod fiet vel ope Mor-  
tificationis abstinendo, & genium  
tuum que tibi videtur commoda,  
pulchra &c ex amore erga illum  
fraudando, vel elargiendo aliquid  
pauperibus; vel, ut melius dicam,  
DEO in suis pauperibus offeren-  
do, aut partem aliquam destinan-  
do Ecclesijs vel Sacerdotibus, ad  
DEI, qui omnium rerum summum  
Principium & Finis est, cultum  
promovendum, aut saltem utendo  
rebus à DEO acceptis eo modo,  
tempore ac fine, qui DEO placet,  
& quia sic DEO placet, confor-  
miter nempe statui tuo, pleris fa-  
ciendo ipsius gratiam & Charita-  
tem, quam reliqua omnia benefi-  
cia.

*Hec*



*Hec praxis, uti & sequens, factis aliquando tradita est; ea enim poterit pro formula reliquas breviores infra ponendas amplian- servare ijs, quos pia ac laudabilis devotio ad illud impellet.*

## INDUSTRIA II.

*Amoris & Congratulationis.*

**S***ecunda Industria est, si à pulchritudine, sapientia, bonitate alijsque perfectionibus creaturarum, quas considerare oportet, quasi totidem picturas laboresque artificiosos à magistra Divina manu in secreto Sapientie sue conclavi, modo sapientissimo prorsusq; admirando nobisq; incognito,*  
per-